

V i r o

Summe Venerabili

Amplissimo Doctissimo

FRIDERICO AUGUSTO UNGER

S. S. Theol. Doctori

Chemn. Eccl. Past. Prim. Et Dioec. Eph.

Ord. Sax. Virt. Civ. Et Imper. Russ. Ord. Wlad. Eq.

Longe Meritissimo

Munus Superintendentis Per **L Annos Gestum**

Pie Gratulantur

Dioceseos Chemnitiensis Theologiae Candidati

Singulari Ejus Patrocinio Usi

Interprete

Carolo Augusto Caspari

Progymn. Chemn. Subr.

Chemnitii

Ex Officina Pickenhahniana.



3 H 343



Friedrich August Unger

A. D. VI. Cal. Febr.

CEV VEHTVR PVRVS PER SVAVIA GRAMINA RIVVS,
VND A, SENEX, VITAE SIC FLVAT VSQVE TVAE!



Proque dum procedis: Jo triumphe!

Non semel dicemus, Jo triumphe!

Civitas omnis, dabimusque divis

Thura benignis!

Hor. Od. IV, 2.

Non bella regum plenius aureo

Cantare plectro, non stomachum gravem

Galli, minis Rhenum petentis,

Musa, jubes sociare chordis.

Audax per aequor navifragum ratis

Dat vela ventis, seu rabie Noti

Quassata submergatur undis,

Seu placidum tetigisse portum

Laetetur; — audax grandia molior.
Heroa fas est tollere laudibus,
Heroa, qui, Christi sacerdos,
Aurea sertā tulit secundo.

Favete linguis! Carmine pandimus
Audita raro! Rara dedit diem
Fortuna, sat multis negatam,
Innumeris neque post videndam.

Inscribe fastis, Chemnitium, tuis!
Urbis plateas jubila personent!
Turbaeque curarum forique
Assidui strepitus quiescant!

Qui quaeve sitis, plaudite! plaudite!
Attollite almi pocula nectaris,
Diemque Cressis hanc lapillis
Atque pio decorate ritu!

Nam mentis altae quem propria indoles,
Exulta doctis sub penetralibus,
Evexit ad summos honores,
Flore virentis adhuc juventae,

Hunc, TER VERENDUM, quinque decenniis
Probe peractis, relligio suas
Ovans ad aras ducit ipsa,
Corpore et ingenio vigentem

Quercus ad instar, luxuriantibus
Quae fusa ramis, per duo saecula
Umbra hospitali foliorum
Praebuit agricolis quietem. —

En! Quantus exit! Cernitis, ut senis,
Vitam otiosam vivere nescii,
Canum caput bis quinque lustra
Frondebis aesculeis coronent?

Antiqua longis obruta saeculis
Jam nunc resurgit fabula Curtii,
Camoena, rerum certa iudex,
Quam memori celebravit ore:

Et hortulani scilicet ordinans
Arbusta sulcis Sidonius puer,
Invicto Alexandro favente,
Eximium decus occupavit.

Sic dignitas, sic sola beat viros
Augusta virtus, quippe, per aspera
Ad astra tendens, propria vi
Seque suumque decus tuetur,

Et saepe linqvens alta palatia
Urbis, tabernam ruricolae petit,
Intaminatam criminosa
Luxurie, scelerisque puram.

Haec ampla virtus TE quoque sustulit,
UNGERE, qui, nec sub lare splendido
Natus, nec auctus stirpe avita,
— Nobilitate nites perenni;

Praestantis hinc TU dona scientiae et
Sublimioris vim sapientiae
Deducis et cordis vigorem,
Nec niveos aliunde mores.

Quae suada labris! qui nitor aureo
In ore regnat! Quam cupide bibit,
Testante jam nostra cohorte,
Verba stupens populus docentis,

Quis sacrosanctum sit timor in Deum,
Vel quis malignos in socios amor;
Quam fixa stent decreta coeli,
Nec dubio labefacta casu;

Et quanta Christi morte fidelibus
Reclusa pax sit, quantaque gratia,
Humana quam mens vixprehendit,
Lingua nec ulla valet profari!

Tutela lucis coelitus editae
Fortis cavisti, saecula pristinae
Reducta culpae ne pudendis
Opprimerent animos tenebris.

Sic gliscit aequum, sic pietas suis

In urbe per TE fulget honoribus,

Puroque consecrata cultu

PRAESULE TE cluet ara templi.

Nunc, nunc tot altis debita laudibus,

Tot parta factis, praemia suscipe!

Nunc concinant cives triumphum,

Rite Deum prius apprecati,

Ut arte digni TE patre filii

Firmatus, annos Nestoris impleas,

Laetusque perstes, — prisci imago

Et specimen venientis aevi!

O. W. Bach, Chemnitiensis,
 C. C. Bahr, Chemnitiensis,
 H. A. Barth, Ebersdorpensis,
 A. Bernhardt, Chemnitiensis,
 C. A. Caspari, subrector prog. et schol. civ. Chemnitiensis,
 E. M. Findeisen, Dr. phil. et AA. LL. Mag. praeceptor schol. civ. Chemnitiensis,
 C. R. Fleck, Zschopaviensis,
 J. G. S. Freudenberg, Chemnitiensis,
 J. A. Gareis, Gloesensis,
 A. F. Gehlert, Gruenhainchensis,
 J. E. Glaeser, Chemnitiensis,
 F. A. Goldhahn, Chemnitiensis,
 C. F. A. Gruellmeyer, Dr. philos. et AA. LL. Mag. Chemnitiensis,
 F. H. Haupt, Chemnitiensis,
 O. C. A. Hunger, Dr. phil. et AA. LL. Mag. Chemnitiensis,
 B. H. A. Huetter, Stollbergensis,
 H. O. A. Huetter, Rabensteniensis,
 F. G. L. Kaiser, praeceptor schol. civ. Chemnitiensis,
 C. T. Kindermann, Zschopaviensis,
 H. E. Lamprecht, Palaeochemnitiensis,
 A. F. Leupold, Frankenbergensis,
 A. H. Lipfert, Chemnitiensis,
 F. A. Ludwig, Neokirchensis,
 E. F. Mueller, Falkenaviensis,
 G. A. Naumann, Chemnitiensis,
 T. Neumann, Rochrsdorpensis,
 F. R. Polster, Frankenbergensis,
 F. M. Putzer, Dr. phil. et AA. LL. Mag. Frankenbergensis,
 G. A. Richter, praeceptor schol. civ. Chemnitiensis,
 C. T. Roessler, Chemnitiensis,
 F. R. Schaarschmidt, Chemnitiensis,
 F. F. Schmid, praeceptor schol. civ. Chemnitiensis,
 C. L. Schreiber, Furthensis,
 G. E. Schubert, Frankenbergensis,
 C. F. Sterzel, Dr. phil. et AA. LL. Mag. praeceptor schol. civ. Chemnitiensis,
 C. L. Winkler, Chemnitiensis,
 F. E. Winter, Harthaviensis.

-----o-----

Stadtbibliothek Chemnitz



A 153041 9